APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

SALOMON K. PETERSSON,

BLEK.

DIE 16 DEC. 1840.

P. XXXVIII.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Amicitiæ quid habeant voluptatis, magis carendo, quam fruendo intelligimus.

II.

Sæpe, qui misericordiam non implorat, multo adjuvandus est magis.

Punctus LIII.

Item quod peregre proficiscens petat licentiam a proprio sacerdote sumendi ab alio sacramenta. Demum subditur, quod presbyter accedens ad missam celebrandam, debet in vestibus mundis, sacerdotalibus et benedictis accedere, et enumerantur quæ sunt, et determinatur eorum forma; et quod habeant caligas, calceos et calceamenta.

Punrtus LIV.

Item quod si cum conscientia mortalis peccati celebrat, peccat tripliciter; primo quia præsumitur indigne accedere ad celebrandum; secundo quia indigne conficit et contingit eucharistiam, et tenet sacra vasa; tertio quia indigne manducat corpus christi et sanguinem ejus bibit.

Punctus LV.

Item describuntur vestimenta altaris, et quod duo corporalia ad minus pro altari habeantur, quæ sunt munda et benedicta.

Punctus LVI.

Item quod calix et patena sint argentei et aurei, et integri, et quod panniculus, cum quo tergitur calix, custodiatur cum veneratione in calice, vel super altari, et quod ceteri panni, quibus calix et patena involvuntur, mundi custodiantur.

Punctus LVII.

Item quod missale involvatur camisia linea et munda, et habeatur manutergium, quo presbyteri nares, os et faciem detergant, et quod loca circa altaria ab arena et aliis immunditiis mundentur, et cortinæ lateribus altarium apponantur.

Punctus LVIII.

Item quod habeatur cortina super vestes altarium, quæ conservet eas ab immunditia deorsum cadente.

Punctus LIIX.

Item quod sacerdos non celebret sine astante clerico vel campanario,

cui deputetur stipendium pro servitio suo, qui et calceatus ministrabit celebranti.

Punctus LX.

Item quod ampulla vini ab ampulla aquæ tigno aliquo discernatur, et munde servetur; et potius rubeum vinum ministrabitur in calice, quam album, et plus ponatur de vino, quam de aqua. Hostia sit integra, solida et non vetusta. Piscina adsit, ex qua lavet se sacerdos post consecrationem et extorsorium.

Punctus LXI.

Item corporale abluatur primum a sacerdote, et postea ab aliqua religiosa, et aqua ablutionis in piscinam mittatur.

Punctus LXII.

Item extorsorium calicis mundum servetur; et inveteratum super piscinam comburatur.

Punctus LXIII.

Item quod sacerdos habeat proprium manutergium, quo manus tergat ante celebrationem, vel contactum sacrorum, quo clericus serviens non extergat manus suas.

Punctus LXIV.

Item sacerdos attente legat et distincte, præcipue in canone, et ante prolationem verborum consecrationis non levet alte corpus Christi, ut videatur a populo, et adoretur a populo. Et in ejus elevationem pulset campana magna tribus vicibus, et populus audiens adoret creatorem suum.

Puncus LXV.

Item si sacerdos, cum venerit ad consecrationem sanguinis, nihil invenit in calice, innuat ut afferatur sibi vinum et aqua, quibus appositis, dicat verba canonis ab illo loco: *Simili modo* &c. usque ad finem, et faciat signa &c. quæ ex tunc fieri solent super sanguinem; illa autem, quæ dicta sunt super corpus, non réiteret. Quod si aquam invenerit et gu-

staverit, non reiteret signa sanguinis, sed transeat modo consveto; ille autem, per cujus negligentiam hoc evenit, jejunet tribus diebus in pane et aqua.

Punctus LXVI.

Item si quid de sanguine ceciderit super corporale, vel super pallam altaris, ista pars abscindatur, et pro reliquiis condatur vel comburatur super piscinam, at cinis in eam reponatur, vel pars corporalis vel pallæ intinctæ sanguine diligenter abluatur, et aqua ablutionis a presbytero jejuno, vel aliqua religiosa persona jejuna sumatur, et poterit pannis uti sicut prius post ablutionem. Si sanguis super aliud vestimentum ceciderit, illa pars abscindatur, et cinis in piscinam recondatur; si autem super lignum, lapidem vel terram solidam; illapsa, si commode fieri possit, ablingantur, et postmodum radantur, et rasura cum ablutione vini et aquæ a sacerdote sumatur, et combusta in sacram piscinam ponatur. Musca, aranea, vel aliud abominabile, de quo timetur vomitus vel periculum mortis, cadens in calicem, caute abstrahatur, et super patenam, vel alium calicem abluatur vino, et post sanguinis sumtionem et ablutionem solitam illa lotio a presbytero sumatur, vel saltem in piscinam ponatur, et abstractum combustione incineratum in piscinam mittatur. Si corpus domini super pallam ceciderit, bis lavetur vino vel aqua, et a presbytero sumatur; si autem super aliud vestimentum, pars tacta abscindatur, et incinerata combustione in piscinam mittatur. Pixis in qua corpus Christi conservatur, vel ad infirmos defertur, sit eburnea, argentea, vel ad minus cuprea bene elimata, et pannus lineus vel sericus mundus intra pixidem ponatur, super quem corpus domini collocetur.

Punctus LXVII.

Item presbyter communicaturus infirmum, visitet eum primo, si commode fieri potest, sine corpore Christi, et diligenter audiat confessionem ejus; et reversus in ecclesiam, accepto corpore Christi redeat ad infirmum communicandum, quem populus ad signum campanæ convocatus, associet ad tergum orans, et presbyter VII. preces dicat et letaniam indutus super pellitio et stola, quem præcedat lucerna, et communicato infirmo redeat populus post sacerdotem ad ecclesiam; et sic faciens X dierum indulgentias consequatur. A Martino autem papa IV. qui cum candela associat corpus domini dum defertur ad infirmum, C. dies, et qui sine candela, L. dies indulgentiarum, et totidem modo consimili associans ab Eugenio papa IV. consequitur. Ista autem delatio corporis Christi in-

telligitur quoad civitatem et villas populosas; sed ad villas campestres defertur in bursa serica, ut prius fuerat consvetudo; et infirmo, frequentem patienti vomitum, non communicato dicat sacerdos: *crede et manducasti;* et petatur ab infirmo ante communionem si credit quod sub eadem forma sit corpus Christi natum de virgine, passum in cruce, suscitatum de sepulchro tertia die: quod si confitetur verbo vel signo, communicet eum; si autem communicatus evomuerit, partes caute et diligenter colligantur et sumantur a sacerdote, vel alio fideli, cum vino; residuum vomitus comburatur, et ponatur in terram juxta altare vel in furnum, si remota fuerit ecclesia. Cum autem corpus domini defertur, fideles flectent genua, pectus tundent, et inclinato capite et junctis manibus adorent. Equitantes de equis descendant, adorantes eum, qui pro ipsis descendit de cælis.

Punctus LXVIII.

Item ante dictas matutinas et primas canonicas presbyter non celebret. Item eucharistia pro infirmo reservata semel ad minus in mense renovetur. Corpus domini, chrisma et oleum in loco honesto sub clausura seræ custodiatur, et claves sint in custodia sacerdotum.

Punctus LXIX.

Item instruantur subditi a sacerdotibus, ut die paschæ devoti. jejuni et confessi accedant ad communionem; et quod extranei non communicent; nisi licentiam habuerint proprii sacerdotis. Pueri ante decennium non communicent.

Punctus LXX.

Item præcipitur, quod quando populus communicandus est, tot hostiæ consecrentur, quod non oporteat frangi formam, et pro sacramentis nihil exigant, licet gratis oblatum possint recipere sacerdotes.

Punctus LXXI.

Item ex statuto Birgeri, composito in concilio Upsaliæ celebrato, statuitur quod idem potest esse compater in confirmatione, qui fuerat in baptisimo, si fuerit necesse.

Punctus LXXII.

Item quod ex eodem, quoad impedimenta matrimooii et - - - alia